

De Romanorum re militari quaestiones selectae

scripsit

Guilelmus Brambach

Quod nostris temporibus fit bello gravi aut seditione urgente, ut civilium magistratum potestas transferatur in praefectum militum, is sub imperatoribus Romanis per provincias limitares firmus perpetuusque status fuit. Etenim Augustus copias et auxilia per eas provincias divisit, suoque imperio reservavit, quibus militum tutela opus fuit: ceteras, quae pacatae erant, senatui populoque Romano permisit, inque eis non tam militum quam vigilum cohortes paucas esse sivit. Ita, si exceperis cohortes urbanas praetoriasque, milites quibus nitebatur rei publicae salus longe lateque ad fines regni missi fuerunt certisque provinciis adscripti. Provinciae autem, quae tali praesidio munebantur ab Augusto, erant octo: Hispania Tarraconensis, Gallia Belgica, Dalmatia, Pannonia, Moesia, Syria, Aegyptus, Africa. In has provincias mittebantur legati augustorum pro praetore, nisi quod Aegyptus praefectis, Africa vero proconsuli sub Augusto etiam tum integra obtemperabat, quem senatus populusque Romanus creabat. Prorsus ergo singulari exemplo in Africa legiones non principis legatus sed is qui a senatu pro consule missus erat ducebat; unde fiebat ut cives ibi imperatores possent appellari. Quod postremum sub Tiberio contigit Iunio Blaeso proconsuli, qui contra Tacfarinatem rem bene gesserat (Tac. Ann. III 74). Invidebat enim Caligula Mauro Silano proconsuli militare imperium 'ablataque [ei] legionem

misso in eam rem legato tradidit; aequatus inter duos beneficiorum numerus et mixtis utriusque mandatis discordia quaesita auctaque pravo certamine: legatorum vis adolevit diuturnitate officii, vel quia minoribus maior aemulandi cura, proconsulum splendidissimus quisque securitati magis quam potentiae consulebant' (Tac. H. IV 48). Quae quidem narratio apprime favere videatur sententiae Theodori Mommseni (*Berichte der k. Sächsischen Gesellschaft der Wissenschaften 1852 p. 213 sqq.*), qui Africam numquam ita divisam esse arbitratur, ut et propria et nova sive Numidia pro singulis provinciis haberentur. Immo animum induxit, specie unius provinciae servata a legato caesaris milites militumque castra, quae Numidiam tuebantur, regi solita, sed ita, ut militibus in ipsa quoque Africa munera quaedam et officia administrare liceret. Cedendum autem fuit primum ipsi Mommseno, legatum et proconsulem suis finibus cohibitum esse. Ita legatus regiones meridionales a Mauretaniis ad Cyrenaicam usque et Aegyptum hac lege regebat, ut ei imperium et ius in milites aequae atque in peregrinos concessum esset, sed proconsuli Africae ibi nihil potestatis fuit. Quae contra si in ipsa Africa ab exercitu Numidiae via strata est ¹⁾, hinc non sequitur, legato huius exercitus militare imperium in Africa fuisse, proconsuli nescio quod relicuum. Talem enim ambiguitatem, qualem Mommsenus sibi fingit (l. 1. p. 220), Karthaginensem et Numidicam dioecesein pares inter se fuisse partes provinciae Africae, nisi quod in altera legatus proconsulis in altera augusti esset, nec ingenium Romanum nec usus quidem tolerabat. Qualis ambiguitas non potest esse, nisi in nomenclatione ²⁾. Caligula enim cum

1) In ea re nihil quod offendant inesse docuit A. W. Zumpt *studia R. p. 137 sq.* Idem refutavit quae ceteroquin de legati potestate in Africa et Mauretania Mommsenus statuit.

2) Dico inscriptionem Grut. 404, 3 in qua habetur a. egnatius. proculus leg. aug. prov. a[f]r. dioecese. numid. qua Mommseni opinio non firmatur. Nam si Numidia dioecesis par fuit Karthaginensi, proconsuli ut in huius ita in illius incolas quaedam

legatum legioni praefecisset, praefecit ei regioni, in qua legio tenebatur. Ausus fortasse non est, eam regionem nomine separare a provincia senatus — quod eum institutis fecisse narrat Cassius Dio LIX 20 — re vera cum hunc litem, ut ita dicam, Numidicum conderet, provinciam propriam condidit, cuius legatus proconsuli non iam obediebat. Haesit aliquamdiu dioecesis nomen, re mutata, donec constans usus secundo p. Chr. saeculo exeunte provinciae quae diu fuit nomen quoque addidit (*Mommsen l. l. p. 220*).

Cum Numidia Germaniae illud habent commune, quod, sicut illa Africae, ita hae Galliae Belgicae primum fuerunt iunctae, postea legatis propriis traditae cum provinciarum conditione nomen quoque acceperunt. Id si quis illustrare vult, ei accuratissime investigandum est, quando Germaniae obtinere coeperint locum proprium. Hunc enim eis fuisse ne Fechterus quidem quique eum secutus est Mommsenus negaverunt, quamquam provincias peculiare esse uterque negavit, ille praefracte, hic clausulis quibusdam adiectis.

Imperium Romanum in terris Rhenanis firmari coeptum est inde ab anno V. IDCCXXXVIII. Potuerat quidem iam antea, a. Chr. 16 cum C. Iulius Caesar pro consule in Gallia esset, nulla eis Rhenum gens libertatem tueri, quamquam tantum aberat, ut Caesar sinistram fluminis ripam pro domita haberet, ut ne praesidiis quidem firmaret³⁾. Manebat itaque libertatis sive spes sive species, donec eo ipso anno, quem supra scripsimus, gravissimum illius quidem temporis bellum, ut ait Dio, causa fuit ripas Rhenanas muniendi. Germani transrhenani legionem quintam aggressi fundunt equites, auferunt aquilam. Quare Romae tanta animorum perturbatio oritur, ut Augustus ipse iura praeter militaria fuisse oportet, cuius rei nec testimonium nec probabilitas ulla est.

3) Neque unum quod extruxit Caesar munimentum ad ripam Rheni tuendam quidquam valuisse apparet. Nam per breve tempus, 'ne omnino metum reditus sui barbaris tolleret atque ut eorum auxilia tardaret', pontem quo Rhenum iunxerat firmavit turri 'tabulatorum quattuor' relictis cohortibus duodecim (B. G. VI 29). Ceterum nullae in terris Rhenanis monumentorum reliquiae supersunt, quae ad Caesaris aetatem referri possint.

in Galliam proficiscatur cumque Germanis retro cedentibus pacem faciat. Biennio fere integro ibi remanet multaque, ut audimus, nova instituit. Quae qualia fuerint nescimus; illud tamen probabile est, Drusum ab Augusto relictum, prorsus e consilio huius egisse, cum Belgicae partes orientales septentrionalesque ita firmaret, ut ad subigendam Germaniam liberam profundamento essent. Itaque videntur ab ipso Augusto eae copiae in terras Rhenanas adductae esse, quibus Druso ad domandos Germanos transrhenanos opus fuit. Apparet enim Augustum intellexisse, Gallos tamdiu nec tutos nec quietos fore, quamdiu Germanorum incursiones partim timerent partim sperarent.

A Druso notissimum est quinquaginta castella ad Rhenum exstructa esse, id est, si brevem Flori narrationem (II 30) recte interpretamur, a Druso Galliae cinctae sunt castellis et agris limitaribus, quae legiones caperent 'commune in Germanos Gallosque subsidium' (Tac. ann. IV 5). Inde progressi effecerunt fortitudine et prudentia Drusus et Tiberius, ut trans Rhenum Romanis hiberna pararentur (Vell. II 105) in annum vicesimum tertium; post non minimam partem Quinctilii Vari superbiae imprudentiaeque debetur nostratium libertas, Romanorum clades. Qua clade illud potissimum effectum est, ut Augustus a domanda Germania desisteret; nam quae postea bella gesta sunt 'abolendae magis infamiae ob amissum exercitum quam cupidine proferendi imperii' suscepta erant (Tac. ann. I 3). Si vero proferre imperium Augustus nolebat, certe fuit ei defendendum. Itaque omissis in tempus castellis transrhenanis, Galliae novis copiis muniebantur, tum demum — quia ripa Rheni sinistra, minus facile defendi potest, quam Taunus mons et Abnoba — limes transrhenanus ductus est.

Diximus exercitum limitarem Druso ab Augusto datum esse, sed eo tempore putamus nondum certis finibus hunc exercitum circumscriptum fuisse. Etenim imperium Romanum ante annum ICCCXXXVIII propagatum fuit usque ad Vogesum et Arduennam, ultra quam legionem quintam stativa porrecta ha-

buisse non credo. Namque Cassius Dio diserte tradit Usipetes et Tencteros Rhenum transgressos in Germania et Gallia praedam egisse, tum vero demum adventanti Romanorum equitatu insidias paravisse (LIV 20): *Σύγαμβροί τε γὰρ καὶ Οὔσιπέται καὶ Τέγκτηροι . . . τὸν Ῥῆνον διαβάντες τὴν τε Γερμανίαν καὶ τὴν Γαλατίαν ἐληλάτησαν, τὸ τε ἱππικὸν τὸ τῶν Ῥωμαίων ἐπελθόν σφισιν ἐνήδρευσαν, καὶ φεύγουσιν αὐτοῖς ἐπισπόμενοι τῷ τε Λολλίῳ ἄρχοντι αὐτῆς ἐνέτιχον ἀνέλπιστοι καὶ ἐνίκησαν καὶ ἐκείνον.* At contra minus accurate Velleius: 'accepta, inquit, in Germania clades sub legato M. Lollio . . . amissaque legionis quintae aquila' (II 97); dicebantur sane regiones cisrhenanae flumini proximae Germania, ut infra videbimus, eamque distinguit diligenter Dio a Gallia, cui propterea magis fidendum est quam Velleio negligentiori. Cum vero post annum ICCCXXXVIII legiones ultra Arduennam et Vogesum castella exstruerent, ei limitares agri possidebantur, qui postea Germaniarum nomine publico significabantur. Harum fines adversus Galliam Belvicam relicuam ea ipsa silva et mons, quae dixi, manserunt, etiamsi postea demum fines dicti sunt. Tantum enim abfuit, ut hoc Galliarum incrementum pro nova provincia haberetur, ut etiam terrae transrhenanae, quas subiectas habebant aut habere sibi visi sunt, Romani Galliis adscriberent. Eam autem rem nescio an quis distinctius descripserit, quam ipse Augustus in tabula Ancyrana. Nam cum dubitari possit, utrum geographi agros decumates Germaniae magnae an Galliae ascribant, illud certo nemo dubitat, quin ripa Rheni inferioris dextra ad Germaniam magnam pertineat. Attamen Augustus se dicit Gallias ad Albim usque protulisse c. 26 ed. Momms. p. LIV [5, 9]: Gallias et Hispanias provincia[s] (*sic*) ab ea parte, qua eas adluit oceanus [a] Gadibus ad ostium Albis flum [inis pacavi]. Etsi enim de singulis verbis suppletis ambigi potest, totius enuntiati quin haec fuerit sententia non est ambiguum. Sed videntur repugnare haec Augusti verba et dicendi usui et veritati. Nam scriptores narrant Augustum, cum Drusum

Tiberiumque mitteret trans Rhenum, non tam Gallias augere, quam Germaniam domare inque provinciae formam redigere voluisse⁴⁾. Verum autem non est eo tempore, quo scripsit Augustus res a se gestas (a. V. ICCCCLXVII), imperium Romanum ad Albim usque prolatum fuisse. Dicemus igitur Augustum consulto falsa scripsisse? Id sane si voluisset, tamen ei spes nulla esse potuisset cuiquam falsa persuadendi exstante rerum notissimarum memoria etiamtum recenti. Sed prior difficultas, Galliam dici quae Germania fuerit, explicari potest. Germania enim libera in provinciae formam redigenda tradita fuit legato Galliae Belgicae sive potius Galliarum, quibus Drusum et Tiberium praefuisse vidit Zumptius (*stud. R. p. 120*). Numquam est autem eo perventum, ut Germania prorsus pro provincia haberi posset, licet P. Quinctilius Varus se tamquam in provincia gereret. Immo quae inter Rhenum Albimque rerum condicio fuerit ante Romanos exactos accuratissime describit Cassius Dio (LVI 18): *εἰχόντινα οἱ Ρωμαῖοι ἀντῆς* (i. e. *Κελτικῆς* pro Dionis more loquendi), *οὐκ ἀθρόα ἀλλ' ὥς πον καὶ ἔτυχε χειρωθέντα, διὸ οὐδ' ἐς ἰστορίας μνήμην ἀφίκετο καὶ στρατιῶται τε αὐτῶν ἐκεῖ ἐχέιμαζον καὶ πόλεις συνωκίζοντο, ἕς τε τὸν κόσμον σφῶν οἱ βάρβαροι μετεῤῥῶθμιζοντο καὶ ἀγοράς ἐνόμιζον συνόδους τε εἰρηνικὰς ἐποιούντο*. Etsi autem a Dione ipso Varus dicitur *τὴν ἡγεμονίαν τῆς Γερμανίας* suscepisse, tamen revera fuit legatus Belgicae qui exercitum in

4) Velleius distinguit Germaniam cis Albim a Gallis (II 121): (Tiberius) 'mittitur ad Germaniam ἀποκληρώσας . . . ὅσους ἠδυνήθη, κατέλεξε, καὶ εἰδὺς σπουδῆ μετὰ τοῦ Τιβερίου ἐς τὴν Γερμανίαν ἐπεμψεν Dio LVI 23), Gallias confirmat, disponit exercitus, praesidia munit'. Idem: 'sic perdomuit Germaniam, inquit (II 97), ut in formam paene stipendiariae redigeret provinciae'. De eodem tempore locutus, de quo Velleius loco priore, Dio quoque distinguit Gallias a Germanis (l. l.: *Ἀγούστος*) . . . *πένθος μέγα ἐπὶ τε τοῖς ἀπολωλόσι καὶ ἐπὶ τῶ περι τε τῶν Γερμανιῶν καὶ περι τῶν Γαλατικῶν δέει ἐποίησατο*, sed his verbis Germaniam utramque sui temporis respexerit. Florus (II 30): 'Germaniam . . . utinam vincere tanti non putasset! magis turpiter amissa est quam gloriose adquisita. Sed quatenus sciebat patrem suum C. Caesarem bis transvectum ponte Rhenum quaesisse bellum, in illius honorem concupierat facere provinciam'. Suetonius loco infra laudando ex Augusti verbis pendet.

Germania superanda ducebat. Prorsus igitur moribus institutisque Romanis convenit, quod Augustus Galliam ad Albim usque se extendisse gloriatur ⁵). Non convenit quod Augustus id scribit paucis ante mortem diebus. Nam arma Romana tunc non ad Albim pertinebant, sed e Germania diu extrusa erant. Falsa igitur hic narravit Augustus? Germaniam re vera ad illum terminum usque pacaverat Tiberio legato Galliarum illic misso ⁶). Mansit per annos duodeviginti ICCCXLV—I CCCLXIII sub imperio Romano, per quos arma non solum ad Albim usque valebant, sed L. Domitius adeo 'exercitu flumen Albim transcendit longius penetrata Germania quam quisquam priorum' (Tac. ann. IV 44). Quae cum ita sint, Augustus vere statuit fines imperii ad hunc fluvium, si annos illos duodeviginti, respexit, quod quidem facere non potuit, si indicem rerum gestarum post illos annos composuit. Itaque facilis est coniectura, hanc quoque partem indicis circa annum V. I CCCL conceptam esse, sicut recensum donationum in capite XV ed. Momms. p. XLII [3, 7 sqq.] circa eundem annum perscriptum luculenter ostendit Mommsenus (p. 37). Post annum vero V. I CCCLXIII in tabulam ab Augusto non inlatam esse funestam Varii cladem, arma turpiter cis Rhenum detrusa, facile intellegitur. Itaque quod Tiberius fines vivo etiamtum Augusto ad Rhenum statuit ⁷) Augustus ad Albim, non iam mirum est.

a. Chr. 9.
p. Chr. 9.

a. Chr. 4

5) Consentit Suetonius Aug. 21: 'Germanosque ultra Albim fluvium summovit'.

6) Drusus Lugdunensi (Aquitaniae?) Belgicae cum Germania praefuit usque ad annum V. I CCCXLV. 'Moles deinde eius belli translata in Neronem est, quod is sua et virtute et fortuna administravit a. Chr. 9 peragratuque victor omnis partis Germaniae sine ullo detrimento commissi exercitus'. Velleius II 97.

7) Post cladem Varianam nullum Romanis castellum transrhenanum supererat; nam quod unum Germani capere non potuerunt brevia Romanis propter ciborum inopiam desertum est (Zonaras X 37 ed. Bonn. II p. 427). Neque postea periculum fecit Tiberius Germaniam iterum occupandi. Nam hic ipse fuit qui post illam cladem legiones ita disposuit in ripa Rheni sinistra, ut per saecula disposita manserunt (Vell. II 121). Expeditiones vero contra Germanos suscepit eodem consilio quo post eum a Tacito bellum gestum dicitur (ann. I 3. II 26). Limes transrhenanus tamen postea ideo ductus, ut supra diximus, quia

Ergo sub finem imperii Augustus habuit Belgicam ad Rhenum usque propagatam, cui praefuit Germanicus. Germanico ipsi duo legati fuerunt, quorum uterque quattuor legiones ducebat alter ad superiorem, alter ad inferiorem Rheni ripam (Tac. ann. I 31). Cum legatos huiusmodi postea Germaniae superioris inferiorisque nominari (Tac. ann. III 41) nec iam sub imperio legati Belgicae esse videamus (Tac. ann. XIII 53), quaeritur, quando Germaniae institutae sint. Et mihi quidem rectissime p. Chr. 17 sime statuisse videtur Zumptius, id anno V. ICCLXX factum esse, cum Germanicus Romam abiret. Etenim Tiberius qui exercitum Germanicum divisit et in duo corpora, superius scilicet et inferius disposuit, illos agros qui a Romanis tricesimo et quod superat anno iam occupabantur trans Vogesum et Arduennam a Belgica dissecuit propriisque legatis tradidit. Id postea sic fuisse non credit Fechterus (*Schweiz. Mus. für hist. Wiss. 1839 III 308 sqq.*), quia non inquisivit num fines Germaniis fuerint; quos tamen fines inter utramque Germaniam ipsos etiamnunc novimus, interque Germaniam inferiorem et Belgicam loco uno ad pauca millia passuum dimetiri possumus. In errorem incidit ille, quia geographi constanter Germanias Galliis adnumerant, neque adeo a Belgica secernunt. Itaque primum videndum erat, num forte fontes, unde hauserunt geographi provinciarum descriptionem non Tiberio antiquiores sint. Sed nec Fechterus neque ipse Mommsenus quaesiverunt accurate, quando Germaniae suos legatos primum accepissent. Veluti notum est, Plinium Augusti et Agrippae commentarios transcripsisse, in quibus Germaniarum mentio fieri nequibat. Sed ne opus quidem est hac excusatione; nam iure Germanias Belgicae adnumerari et tamen provinciae formam et nomen habere videbimus. Dio quidem haec scribit (LIII 12 τὸν δὲ δὴ Καίσαρος . . Γαλάται πάντες, οἱ τε Ναρθωνή-

ripae Rheni Danubiique superiores minus apte muniri poterant. Cuius limitis struendi primordia fecit Germanicus instaurando castello in Tauno monte (Tac. ann. I 56).

σιοι καὶ οἱ Λουγδοννήσιοι Ἀκουιτανοί τε καὶ Κελτικοί, αὐτοί τε καὶ οἱ ἄποικοὶ σφῶν· Κελτῶν γάρ τινες, οὓς δὴ Γερμανοὺς καλοῦμεν, πᾶσαν τὴν πρὸς τῇ Ῥήνῳ Κελτικὴν κατασχόντες Γερμανίαν ὀνομάζεσθαι ἐποίησαν, τὴν μὲν ἄνω τὴν μετὰ τὰς τοῦ ποταμοῦ πηγὰς, τὴν δὲ κάτω τὴν μέγχι τοῦ ὠκεανοῦ τοῦ Βρετανικοῦ οὖσαν. In quibus verbis nihil est, quod sententiae nostrae, quae eadem erat Zumptii, repugnet; nam ita de Augusti temporibus aptissime disseritur. Quin etiam cavet Dio, ne quis statum provinciarum durasse arbitretur; addit enim l. l., ut optime monuit Zumptius (*studia R. p. 96*), ταῦτα δὲ οὕτω κατέλεξα, ὅτι νῦν χωρὶς ἕκαστον ἡγεμονεύεται. Ammianus vero divisionem Galliarum se ignorare ostendit, cum scribat XV 11, 6: 'Regebantur autem Galliae omnes, iam inde uti crebritate bellorum urgenti cessere Iulio dictatori, potestate in partes divisa quattuor, quarum Narbonensis una Viennensem intra se continebat et Lugdunensem, altera Aquitanis praeerat universis, superiorem et inferiorem Germaniam Belgasque duae iurisdictiones iisdem rexere temporibus'. In his verbis duplex vitium inest, primum quod Lugdunensis a Narbonensi non distinguitur, tum quod Viennensis Germaniaeque inde a Caesaris temporibus fuisse dicuntur. Et prius quidem librariis impertire quam Ammiano maluit Zumptius verbis transponendis in hunc modum: 'quarum Narbonensis una Viennensem inter se continebat, altera Aquitanis praeerat universis, Lugdunensem, superiorem et inferiorem Germaniam Belgasque duae iurisdictiones iisdem rexere temporibus'. Ita quidem recte loqueretur Ammianus de Augusti institutis; sed dubium est, num scriptor, qui posterae aetatis provincias ad Iulium dictatorem refert, in rebus non minus gravibus itidem peccaverit. Mommsenus certe (*Ber. d. Sächs. Ges. l. l. p. 234n.*) non negat Ammianum hic peccasse neque quidquam de Germaniis cum Belgica in unum corpus coniunctis tradidisse. Describit re vera Ptolemaeus in libro II 9, Gallia in quattuor provincias divisa,

uno capite Germanias cum Belgica, sicut Africam et Numidiam uno capite complectitur. Ut supra vidimus, neque Plinium neque Dionem diserte unam fuisse Belgicam cum Germaniis provinciam probavisse, ita Ptolemaei auctoritas id evincere videtur. Dicere possumus, fines Germaniarum nimis exiguos fuisse, ut qui a geographo respicerentur; possumus conferre Africam, Hispaniam Tarraconensem, quarum alteri Numidia alteri Asturia adiungitur (quod utrumque confert Zumptius l. l. p. 132); attamen videndum est, num illud non multo gravius sit, Germanias Belgicae addere, quam Asturiam Hispaniae Tarraconensi, Numidiam Africae. Etenim in Germaniis agitur de finibus totius Galliae; sed in Hispaniarum finibus nihil mutatum est, cum Asturia et Gallaecia modo secerneretur, ut sub Antonino Pio et Caracallo, modo Tarraconensi adderetur, quod fecit Septimius Severus⁸⁾. Neque magis Africae fines tam anxie curandi erant; nam Numidia, quae aliquamdiu libera etiamtum republica provincia propria fuit⁹⁾, post Africa nova nuncupata et Africae relicuae attributa est. Si igitur Numidia re vera iterum soluta, nomine fortasse dioecesis aliquamdiu manebat, quod supra diximus, facile potuit Ptolemaeus eam Africae adiungere. At hercle si Germanias Galliis adiungebat, non solum provinciarum adversus Belgicam fines neglexit — quod quia olim non fuerunt ei condonamus — sed etiam totorum populorum fines confundit. Namque si Germanias ita Tiberius a Belgica divisit, ut Galliarum fines non iam ad Rhenum, sed ad Vogesum et Arduennam pertinerent, nonne gravissime peccat qui Germanias quamvis exiguas tamen Galliis etiam tacite adscribit? Sed ego numquam credidi, neque credidit Zumptius vir prudentissimus, Germanias a Galliis separatas esse. At nominabantur tamen Germaniae. Sane, neque Caesar dubitabat, quin Galliae ad Rhenum usque porrigerentur, attamen non ignorabat cis Rhenum Germanos considerare; itaque diu antequam Germaniae separarentur, nomen

8) Zumpt *studia R. p. 142 sqq.*

9) Mommsen *Ber. der Sächs. Ges. l. l. p. 213.*

in usu fuit ¹⁰⁾. Ergo ex nomine nihil concludi potest neque puto quemquam veterum propter hoc nomen fines Galliarum a Rheno retro duxisse.

Neque igitur Ptolemaeus totorum populorum fines confundit, cum Germanias Galliis adscribat, et si qui recentes id non faciunt vehementer errant. Videtur autem Mommsenus (l. l. p. 234) in tales, si qui sunt, invehi, cum demonstret, Germaniis quoque leges institutaque Gallica fuisse ¹¹⁾. Sed de hac re non agitur; quaerimus utrum Germaniae provinciae fuerint Gallicae quidem, sed singulares, an dioeceses Belgicae. De qua re statuit Mommsenus, dioeceses Belgicae fuisse quasdam militares, per abusum provincias dictas, sed ab imperio legati Belgicae tamen liberas; Zumptius contra statuit, eas itidem ab imperio illius legati liberas, a Belgica ita tamen separatas, ut iure provinciae dictae essent. Itaque Mommsenus habet quattuor provincias Galliae: Narbonensem, Aquitaniam, Lugdunensem, Belgicam ab eaque duas dioeceses in provinciarum formam sed sine nomine separatas; Zumptius habet sex, Belgicae Germaniis non adnumeratis. Iam autem nemo non videt, hanc litem in nomenclatione tantum esse, quam sic dirimere fas erit, ut dicamus Galliam in provincias quattuor divisam, earumque Belgicam tripartitam fuisse ita, ut omnes tres partes suos fines, suos legatos, suam denique iurisdictionem haberent; sed primam, quae antiquissima erat, Belgicae nomen retinuisse, alteram et tertiam Germaniae nomen, quod ante divisionem eidem agri habebant, publice accepisse nisi quod rarius provinciae, quae erant, nuncupatae sunt.

Iam nobis liceat, Germanias eodem iure provincias nominare, quo veteres scriptores nominaverunt, dummodo illud teneamus, quod Zumptius luculentissime observandum esse docuit,

10) 'Germanosque qui cis Rhenum incolant' Caes. B. G. II 3. Nervios Aduatucos [ac] Menapios adiunctis cisrhenanis omnibus Germanis esse in armis'. Caes. ib. VI 2. vide testimonia Velleii et Dionis supra allata.

11) In argumentis Mommseni illud nihil valet, quod e L. Munati Planci titulo sepulchrali et triumpho petitum est; illius enim tempore Germaniae omnino non fuerunt.

eas provinciarum formam non ante Tiberium accepisse. Si igitur nunc quaerere incipimus, quatenam fuerit ratio, qua Augustus provincias suas et Africam defendendas censuerit, nulla mentio fiet Germaniarum, quarum agri etiam sub Augusto in tutando imperio locum longe gravissimum obtinebant. Ita firmamentum imperii fuerunt legiones, quibus addita erant auxilia, numero militum legionarios fere aequantia. Legionum autem stationes perquirentibus nobis, satis certae apparent quae post cladem Varianam fuerunt, conicere tantum possumus antiquiores. De quibus ut statim uno conspectu dicamus quod sentimus, legiones enumerabimus in provincias distributas.

Ante annum V. IOCCCLXIII

(p. Chr. 9)

in Hispania Tarraconensi:

legio IV Macedonica

VI victrix

X gemina

in Gallia Belgica:

V alaudae

XIII gemina?

XIV gemina

[XV ad annum IOCCCLX?]

XVI

[XVII]

XVIII

XIX

in Dalmatia:

legio VII (postea Claudia)?

XI (postea Claudia)?

XX Valeria vitrix

in Pannonia:

legio VIII Augusta

IX Hispana

[XV Apollinaris post annum IOCCCLX]

in Moesia:	legio III Scythica V Macedonica
in Syria:	legio VI ferrata X Fretensis XII fulminata
in Aegypto:	legio III Cyrenaica ?
in Africa:	legio III Augusta ?

Etsi de hac legionum dispositione diserte nemo veterum tradit, tamen ratiocinando vera esse efficitur. Traditum enim hoc tantum est, anno ICCCXXXVIII legionem V in Gallia Belgica (Velleius II 97), ad annum ICCCLXIII legiones XIII et XIX ibidem (*Lersch Centralmuseum rheinländischer Inschriften II, 1. Tac. ann. I 60*), legionem XX Valeriam denique a. ICCCLX fuisse in Dalmatia, siquidem hoc ea re evincitur, quod eam Velleius (II 112) narrat in Illyrico pugnasse (*cf. Mommsen ad. mon. Ancyr. p. 46, p. 4*). His accedit quod tres legiones in Hispania fuisse proditum est sub Tiberio; quapropter quartam (II Augustam) ibi ad annum supra scriptum mansisse non ausus sum dicere, etsi in Hispania lecta est. Tres autem aliae fuisse non possunt, quam IIII Macedonica, VI victrix, X gemina, cum et post annum ICCCLXIII fuerint, et nulla praeterea etiam tum in Hispania recens perdomita mutatio admitti potuerit. Iam est admodum probabile, legionem XIII geminam cum Druso in Germania fuisse, ut cuius laterculi in vetere castro Mogontiacy quod Drusus exstruxit reperiantur¹²).

12) Fuchs hist. Magunt. ed. lat. p. 143: 'cui [castro Mogontiacy] exstruendo Legio XIV prae omnibus manus viresque apposuit. Testes huius operis sunt lateres innumeri cum titulo Legionis XIV signati, quos in fundamentis antiquorum Romanorum moenium circa Maguntiacum et ad ruinas aquaeductus . . . invenimus'. 'Maguntiacum' vetus castellum hic esse accuratius ipse dicit Fuchsius

In Syria denique inter annos ICCCXLIII—IQCCL tres tantum legiones fuisse tradit Iosephus ant. XVII 10, 9. Eas VI ferratam X Fretensem XII fulminatam fuisse, quas anno IQCCLXXXVIII ibi tetendisse scimus, quasque circa annum IQCCC diuturna desidia in Syria corruptas audimus, non est cur quisquam negaverit. Reliquas, quas in laterculum recepimus, sunt duodecim. Hae autem provinciis eis cum probabilitate adscribi potuerunt, quibus postea adscriptas invenimus, si nullas per bella in eis mutationes factas concludere licuit. Ita III Augustam Africae, Cyrenaicam Aegypto tribuere non est audaciae. Nec IIII Scythica et V Macedonica minus probabiliter Moesiae adscribuntur, quamquam ad annum demum IQCCLXXXVII id probare possumus (*Mur. 223, 4. Ackner-Müller die Römischen Inschriften in Dacien 5*). Dubitatum est non prorsus sine causa, utrum legio V haec sit alaudae an Macedonica. Etenim supererant sub Augusto duae legiones, quarum utrique ex republica libera quintae nomen adhaesit. Fuit autem utraque a partibus olim C. Iulii Caesaris. Altera in bello Africano inclaruit elephantis Scipionis victis eandemque suis temporibus exstitisse testatur Appianus B. C. II 96: ἡ δὲ στρατιὰ τοῦ Καίσαρος ἐς τοσοῦτον ἀνεθάρρησεν, ὡς τὸ πέμπτον τέλος, ἀλιῆσαν ἀντιπαχθῆναι τοῖς ἐλέφασιν, κρατῆσαι πάνν καρτερωῶς. καὶ νῦν ἀπ' ἐκείνου τῷδε τῷ τέλει ἐλέφαντες ἐς τὰ σημεῖα ἐπίκεινται. Vnde certissime evincitur hanc fuisse Macedonicam; nam alteram ultra Vespasiani imperium non durasse videbimus. Legionem alaudae legit ipse C. Iulius Caesar teste Suetonio (Caes. 24): 'ad legiones, quas a re publica acceperat, alias privato sumtu addidit: unam etiam ex Transalpinis conscriptam, vocabulo quoque Gallico: quam disciplina cultuque Romano institutam et ornatam postea universam civitate donavit'. Nomen prorsus singulare accepisse dicitur a cristis galearum sive quod alauda eius insigne fuit; cui opinioni favet Plinius H. N. XI 121 Sill: apex est] 'parvae avi, quae ab illo galerita appellata quon-

ed. germ. I p. 138 'in den Fundamenten des alten Moguntiaci'. (cf. Klein über die Legionen, welche in Obergermanien standen p. 4.)

dam postea Gallico vocabulo etiam legioni nomen dederat alaudae'. Sed non prorsus constat utrum dicta sit legio alaudae, an recto casu alauda. Prius voluit Garucciis (*mon. Lig. Baeb. p. 20*) inscriptione nisus ab ipso visa, in qua c. valerius c. f. aem[ilia] arsaces legione V alaudae¹³) nominatur, eumque secuti sunt et Mommsenus I. N. in indice s. v. et Henzenus ad Or. 6675. Ceterum hoc nomen ab Augusto publice non receptum esse puto. Nam Tacitus illud nusquam habet et in monumentis non invenitur, nisi eis in locis, ubi legio confundi poterat cum Macedonica. Veluti in Italia, ubi stativa non habuit, memoratur Formiis (*Reines synt. VI 35 p. 410*) Fulginii (*Mur. 766, 5 = 858, 4 Marini Atti p. 756. Or. 773. Mur. 810, 7. Grut. 403, 1*) Capistrani (*Doni V 67. Mur. 880, 8 I. N. 6030*) in civitate Ligurum Baebianorum (*I. N. 1361*) inter Ariciam et Bovillas (*Grut. 549, 4*) Romae (*Gr. 559, 7. 544, 2 si inscriptio genuina est*). Sed quam inconstanter sic nuncupata sit, demonstrant tituli, in quibus aut alia nomina aut nullum habet. Ita quia in Gallia cisalpina conscripta fuit nominatur Gallica Antiochiae ad Pisidiam, ut vere animadvertit Henzenus ad Or. 6674, quia ad Rhenum ab Augusto missa fuit, dicitur legio V in Germania (*Grut. 453, 1*). Sed hoc ipsum a multis addubitatum est, num in Germania stativa habuerit, quamquam illud probatum, me iudice, fuit a Bartholomaeo Borghesio (*annali dell' inst. 1838 p. 146*), donec nuper C. L. Grotefend Borghesii opinionem doctissime defendit et firmavit (*Jahrbücher des Vereins von Alterthumsfreunden im Rheinlande XXXII p. 45 sqq.*). Borghesius enim, licet multos laterculos legionis V Macedonicae in Germania inferiore apud Steinerum (*cod. inscr. ed. I 623—*

13) Guarinius qui primus edidit lapidem (*camp. Taur. p. 41*) legit alauda, Mommsenus, qui non vidit, praefert Garrucci lectionem merito, opinor, quia hic data opera in hoc nomen inquisivit. Putat autem Garucciis apicem avis alaudae, legionis insigne, ei nomen dedisse, nec aliter explicari potest genitivus casus 'alaudae'. Nam si ab apicibus galearum nomen derivatum est, rationi convenit, si milites nominantur alaudae, tota legio alaudarum sive alauda, non convenit, si legio alaudae dicitur. Cicero autem legionem alaudarum dicit

625) laudatos invenisset ¹⁴⁾, tamen in eum errorem non incidit in quem nostrates plurimi, ut legionem Macedonicam esse, quam Tacitus totiens ut in Germania tendentem memorat, putarent. Stravit autem legio V Macedonica una cum IIII Scythica viam in dextra Danubii ripa, ut traditur inscriptione supra iam laudata. In Moesia autem cum hac legione post IIII Scythicam p. Chr. 43 inde ab anno IÖCCLXXXVII sociata fuit VIII Augusta. Superest enim inscriptio ad Linares oppidum in Hispania: ? m. cor]nelio. m. f. gal. valeriano. pra[ef. alae . . .] || . . . praef. vexillariorum. in trachia. XV̄. [a. leg. || v mace] donica. a. leg. VIII. augusta. a. tribunis. la [ticlavis || et minor]ibus. a. praef. chortium. statuis. coron[is donato] || LONEN. et chortis. serviae. iuuenalis. i. . . || . . . E. l. f. optatae. uxori. huic. colonia. patri[cia (Monatsbericht der Akad. d. Wissensch. zu Berlin 1851 p. 35. Grotefend l. l.). Hanc autem inscriptionem primum Vespasiani imperio antiquiorem esse oportet, cum sub hoc legio VIII in Germaniam translata esset; prior p. Chr. 62 quoque est anno IÖCCCXVI, quo legio quinta in Armenia fuit (Tac. ann. XV 6). Nihil igitur restat, quam ut intra annos IÖCCLXXXVII, quo propter expeditionem Britannicam IIII Scythicam abiisse credibile est, et eum quem supra scripsimus positam dicamus. Postquam legio V interfuit bello Iudaico in Moesiam remissa est, ubi castra eius fuisse Troesmin, quam Trosmin vocat Ovidius Pont. IX 4, nuper nova inscriptione edita probavit Léon Renier (*Bull. dell' inst. 1864 p. 195 sq.*). Eam post Daciam etiam captam illic remansisse pervidit Mommsenus (*Bull. dell' inst. l. l. p. 262*), sed sub Septimio Severo

(Phil. I 8. ad Att. XVI 8), militesque alaudas nominat (Phil. V 5. XIII 2). Ceterum si alaunda in legione fuit insigne, non potest fuisse nisi cohortium; tota enim legio aquila non carebat. Quapropter non inutiliter lapis a Garuccio descriptus denuo aditur, ut firmetur lectio 'alau-dae' quae nec Grotefendio placet, neque sane tantopere se commendat, quam 'alau-da'.

14) Qui laterculi quam nihili sint, demonstratum est a Grotefendio l. l.

iam fuit in Daciam translata; id enim satis certo efficitur titulo Thordae reperto (*Or. 936. Ackner-Müller Die R. Inschr. in Dac. 694*). Si vero umquam fuit in Germaniis, quod ego non prorsus negaverim, per breve tempus fuit in superiore non in inferiore. Hoc quando factum sit, nescimus ¹⁵⁾, sed vix alio tempore fieri potuit, quam saeculo p. Chr. altero (*cf. Borghesi annal. dell' inst. 1839 p. 147*).

Vt igitur prorsus certum est, legionem V Macedonicam fuisse in Moesia, ita nusquam diserte traditur, in Germania tendisse quintam alaudae; sed probabiliter conclusit Borghesius ex titulo hoc (I. N. 6030) . . . mil. leg. V. a laudae || donis] militarib. donato a. ti. claudio || e. q. s. Hunc enim militem, cuius nomen interiit, verisimillimum est, in expeditione Britannica, cuius ex Germania inferiore vexillationes legionum participes fuerunt, dona meritum esse. In Germania autem prorsus caruit cognomine alaudae tam in laterculis quam in titulo uno, cuius memoria hucusque servata est. Eum quia ineditus et Augusto Tiberiove non senior est, adscribam (*apud Vetera et Sanctis, unde accepi . . . repertum anno 1623. 20. Aprilis. Crombach in annal. Col. mst. I p. 73*):

HAVE CALVENTI CALV
 ENTIVS TE RESALVTAT
 C · CALVENTIVS rOMVI
 I FIL · OVF · MED · HIC SITVS
 5 EST · ANN · XLIIX MIL · LEG · V
 stiP · XXIIX ET CONIVGI · ET
 ? fili) FRATER PRO PIETATE
 ? f. c. COAEQVALES MORS HAEC
 ? S · APTA EST VITaFELiCES · Qui · F · L
 10 PATRIA DVLCIS
 SE SE SVA
 3—4 VS OMVI || I *Cromb.* 9 VIT · FEL · CES · Q · I *Cromb.*

15) Laterculos eius memorat Rappenegger (*R. Inschr. in Bad.*

Ego autem non dubito, quin haec legio fuerit alaudae; p. Chr. 70 ea cum post annum V. ICCCXXIV non commemoretur, bellis civilibus periit, quorum participem fuisse eam tradidit Tacitus.

Septimam et undecimam legionem Dalmatiae adscripsi nullam aliam ob causam, quam quia anno post quarto decimo ibi fuisse scimus. Item VIII Augusta quinto post anno in Pannonia contra Tiberium rebellavit. Legionem autem IX Hipsanam ratiocinando efficimus in Pannonia ante annum V. ICCCCLXX fuisse, cum eam tacito quidem nomine illo anno e Pannonia in urbem, deinde in Africam missam narret Tacitus (ann. III 9). Illinc vero reportatam diserte tradit idem (ann. IV 23). Quae supersunt legiones XIII, XV, XVI, XVII, Galliae adscriptae sunt, primum XVII, quia ex alto scriptorum silentio concluditur, eam clade Variana interiisse, tum XIII et XVI, quia et quinto post anno ibidem fuere et per se probabile est legiones novas XIII—XIX ad Alpes, post ad Germaniam superandam ab Augusto missas esse; nam XV quae post in Pannonia fuit, eo ducta vi- p. Chr. 6 detur propter seditionem anni ICCCCLX. Nihil affirmare possum de legione I Germanica, quae post annum ICCCCLXIII in Germania tetendit, de II Augusta quam in Hispania, de III Gallica, quam in Syria fuisse credo. Quae vero post annum ICCCCLXIII legionibus stationes fuerint Tacito potissimum auctore certius concludi potest, de quibus ad monumentum Ancyranum inlustrandum luculentissime nuper Mommsenus disputavit.

n. 80), Aquis Badensium repertos: LEG·V·M de quorum lectione dubito. Mommsenus praeterea cippum habet in Inscr. Helv. 274, in quo tamen nescio quo iure legit M·LEG·V·MACEDON cum traditum sit ab inficeto sane descriptore NATIONE MaCeDONUM. Restat denique ara prope vicum Schlossau reperta (*Klein Inscr. Hass. transrh.* 96) AEL SP . . . || ANVS . > LEG || XXII · P · P · F · LEG || VMACED · V · S · L · L · M unde nihil concludi potest. Apparet omnino dubium esse, num legio in Germania fuerit.